



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 63. Bellum a Sabaudia Duce in eos motum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

quod ejus Discipuli eadem polleant potestate, qua Sacerdotes, ut proin Sacramenta conficere, & administrare valeant: interim ipse Petrus ob errores suos Lugduno, ubi nonnihil modestius agebat, ejectus fuit, postea vero ruptis omnibus moderationis, ac decentiæ repagulis, quicquid sanctum, sacrumque in Religione est, pessumdare cæpit, sibi que tanquam impietatis suæ asylum Delphinatus, & Sabaudix montes selegit: porro hi hæretici ad Mont-Cenis, Lusernæ, Angrunæ, Perosue, & Fresconaræ valles sese receperunt, ubi perversa eorum doctrina tam altas egerat radices, ut haud amplius evelli potuerit. Horum Sectatorum primi Anno Christi millesimo centesimo octogesimo primo a Lucio III. Papa fuere condemnati, postea tamen Anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo suam doctrinam Romæ approbari petebant: verum ab Innocentio III. repulsam passi, tertio post anno in Lateranensi Concilio IV. proscripti fuerunt, eoquod absque missione prædicandi auctoritatem sibi arrogassent.

§. LXIII.

*Bellum a Sabaudix Duce in eos motum.*

Hi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

*Thuan. hoc  
ann. lib. 27.*

**H**i hæretici progressu temporis Calvini Sectæ nomen dedere, postquam enim illa Genevam infecerat, ipsi eam lubenti animo amplectebantur: cum vero eorum ditionem Galli paulo post occupassent, illos Taurinensi Magistratui, qui Senatus nomen sibi vendicabat, subjecerunt, eisque indicta capitis pœna Calvini errores profiteri inhibuerunt: hi tamen hæretici illius disciplinam, ac fidei confessionem sequebantur, quin desuper fuissent vexati, donec Philibertus Emanuel Sabaudia Dux post Cameracensem pacem, recuperato ducatu suo ad preces, & Pontificis sollicitationes subditos suos, qui in istis vallibus habitabant, ad officium revocare inciperet, illosque ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem reducere niteretur: eapropter ad pii hujus operis executionem tres selegerat Viros Thomam Jacomelum Ordinis S. Domini, hæreticæ pravitatis Inquisitorem, necnon Turbim, seu Corbim Virum ingenio vehementem, ac denique capitalium rerum Præfectum. Hi omnes tres Cariniano accersiti in suspectos diligenter, ac severe inquirere jubebantur: comitis tamen Lusernensis, aliorumque ex Angroniana valle Nobilium precibus datum est, ut remissius cum iis ageretur: verum hæc moderatio haud



haud erat diuturna, quippe paulo post plurimi ex iis, qui hasce valles incollebant, rogi supplicio, aliisque pœnis mulctabantur: alii vero ad triremes damnati, & non pauci vitæ gratia donati sunt, ne regio incolis penitus destitueretur: ceterum omnes hæ severitates Sabaudia Ducis morbo interrumpabantur.

§. LXIV.

*Libellus supplicis Duci, Ducissæ, ac Senatui a Valdensibus porrectus.*

Paulopost Philibertus Sabaudus Ranconus Comes, Vir lenitatis, & patriæ tranquillitatis studiosus ad Angro-niam vallem descendit, atque ibi adveniens non sine magna adstantium admiratione concioni, quæ tunc forte habebatur, interfuit, qua benigne audita spurii Evangelii Ministros sevocat, & pauca de Principis ægritudine præfatus nequaquam istas vexationum procellas illius jussu excitatas affirmat, rogatque eos, ut rationem inirent, qua ipsius animus mitigari posset: verum illi ad hæc Philiberti verba responderunt: „non aliud nobis superest remedium, „nisi ut ei nostri hujus populi innocentiam manifestam reddamus, atque „ea ex causa jam antea per Carolum Lu-

Sæc. XVI.  
A.C. 1561.

Thuan. l. 127.  
num. 3.